



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 141. Castellani Regni status

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

lio occubuit. Nihilominus anno sequenti Sæcul. XV
 seditionis furor nova incrementa cepit. A.C. 1459.

§. CXL.

*Fezæ Rex ab Alcasariæ obsidione
 depulsus.*

Eo tempore Lusitaniæ Rex continuis
 belli tumultibus adversus Fezæ Re-
 gem involvebatur; hic enim denuo Al-
 casariam parvam aggredi meditabatur,
 sed urbis Præfectus comperto Fezani Re-
 gis consilio, e Lusitania subsidiarias evo-
 cavit copias, earumque auxilio Maurorum
 impetus tanta pertinacia ac animi robo-
 re elusit, ut hi obsidione jamjam in quin-
 quagesimum tertium diem incassum pro-
 tracta, maximo suorum damno pedem
 referre compellerentur. Eduardus de
 Menezes urbis Præfectus soluta obsidio-
 ne Ulyssiponem reversus, Regem de belli
 successu certiozem reddidit, a quo etiam
 summis honoribus exceptus, Vianæ Co-
 mitatu auctus est, ut rei bene gestæ
 præmium reciperet.

*Vid. supr.
 §. LII.*

§. CXLI.

Res Castellæ Regni.

Fortuna, quæ Lusitaniæ Regis conati-
 bus adspiravit, minus propitia fuit
 Castellæ Regi, cum adversus infideles
 S s 4 bellum

Sæcul. XV. bellum moveret; Marchio enim Casten-
A.C. 1459. neda, qui copiis ad Granatensis Regni
 confinia positus summo cum imperio præ-
 erat, in insidias ab hoste structas incauti-
 us delapsus, ab iis capiebatur. Henricus
 Rex non modo Ducis sui libertatem auro
 redemit, sed etiam ipsius loco alium
 transmisit. Postea vero, ut clandestinis
 fuorum Procerum machinationibus ob-
 viaret, præcipua Regni munia inter Vi-
 ros sibi maxime devinctos distribuit.
 Igitur supremam Castellæ Connestabilis
 dignitatem, tunc morte Alvarezii de Lu-
 na vacantem contulit Michaeli de Do-
 ranzo; Alcantaræ vero Præfecturam
 Domino Gomez de Caceres suæ regiæ
 Præfecto; Palatii autem Magistrum de-
 signavit Bertrandum de Cueva. Rebus
 ita provide dispositis, primo Madritum,
 inde Segoviam petiit, venationum deli-
 ciis animum recreaturus. Ast cum idem
 percepisset, quod Joannes de Luna Nu-
 mantiam novam, & tres urbes in Infan-
 tado sitas, necnon S. Stephani Comitatum,
 tutorio nomine pro Alvarezii Filia
 possideret, inde verebatur, ne potentior
 factus in Regis damnum graviora moli-
 retur, hinc Agalloniam venit, a Joanne
 summis honoribus exceptus. Altera
 vero die Rex eundem comprehendendi
 jussit, significans, ni magis munitas,
 quas occupaverat, urbes ei traderet, se
 capite

*Marian. hist.
 Hisp. lib. 23.*

capite plectendum sciret. Joannes vitæ Sæcul. XV.
 suæ consulturus, sine mora urbes cessit, A C 1460.
 quas Rex Pacheconi, cujus Filius post-
 modum Alvaresii Filiam connubio sibi so-
 ciabat, eodem temporis momento dono
 dedit. Præterea Henricus imperium su-
 um auxit, recuperatis urbibus, Cartha-
 gine nova, Laurea aliisque pluribus, quæ
 tam ad S. Jacobi Dynastiam, quam ad
 Villenensem seu Caroniensem Marchio-
 natum spectabant. Has olim Alphonsus
 Fachardo quidam Murciae Nobilis in nu-
 peris intestini belli tumultibus sibi ven-
 dicaverat.

§. CXLII.

*Decretum Papæ adversus Appellantes
 a Sacra Sede ad Concilium.*

Interea summus Pontifex Pius II. conti-
 nuo Mantuæ hæsit; cum vero appella- Labbe Col-
 lect. Conc.
 tom. 13.
 p. 1801.
 tiones a Sacra Sede ad Concilium (quam-
 vis a longævo usu comprobatae, & æquita-
 ti innixæ, imo in nonnullis casibus omnino
 necessariæ viderentur) ad labefactandam
 Sedis Apostolicæ auctoritatem tendere
 censeret, ineunte anno millesimo qua-
 dringentesimo sexagesimo primas eo cu-
 ras intendit, ut ejusmodi provocationes,
 tanquam erroneas, detestandas, nullas,
 sacris Canonibus contrarias, Christianæ
 Reipublicæ pestiferas atque inanes de-
 clara-